



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvvatio XXII. De potentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

Hieron.
Euthym.

butortia exactorem, aliquantò ante finem. Hieron. in cap. 7. Daniel. ad illa verba, *Judicium dedit, & libri aperti sunt.* Euthym. in Psal. 68. ad versum illum, *Cum iustis non scribantur*, quorum testimonia relata vide apud Didac. Ruis disp. 60. de predestinatione sect. 5. Idemque censent è recentioribus Vasq. & Molin. ad q. 24. S. Thomæ. Fautet etiam Scriptura Psal. 138. *In libro tuo omnes scribentur*, omnes, inquit, boni, & mali, tam iusti quam peccatores, ut ait Euthym. in eundem locum. Et Jerem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur*, id est, in libro reprobationis, ut exponit Basil. in cap. 4. Isaia. *Dua enim*, inquit, *intelligi debent descriptiones. Una quidem est eorum, qui ad vitam: altera autem eorum est, qui scribuntur ad perditionem.* Et Apocal. 20. v. 22. *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum: & qui non est inventus scriptus in libro vite, missus est in stagnum ignis, ut additur v. 15.* Quanquam convenientius appellatur liber vite memoria predestinatorum in mente divina, quam memoria reprobatorum, liber mortis, propter aliquas è rationibus congruis, quas affert Did. Ruis sect. cit. vbi fu-

sius hæc prosequitur, & cætera, quæ de libro vite dici possunt. Nimirum, inquit, quia liber scribitur, ut ante oculos scribentis versetur, & ad perpetuam rei memoriam. At Deus potius obliuiscitur quodammodo reprobatorum, qui & æterna memoria indigni sunt, iuxta illud Osee 1. *Obiurione obliuiscar eorum.* Contra verò, *In memoria æterna erit iustus*, Psal. 111. Item, quia sicut in Scriptura dicitur Deus magis specialiter scire ea quæ approbat, & nescire quæ reprobat. Matth. 25. Luc. 13. & 1. Cor. h. 14. Sic liber dicitur magis specialiter ille, qui continet nomina electorum; de quibus dicitur. Timoth. 2. *Cognovit Dominus qui sunt eius*, iuxta probabilem multorum interpretationem. Quo sensu Euthym. loco proxime citato sic ait: *Liber Dei est scientia, & scientia, Scriptura verò, perpetua memoria.* In libro igitur diuine scientie omnes scribentur, tam iusti, quam peccatores. Verum hic diuina scientie liber magis est vniuersalis. Est etenim alius liber scientie Dei magis priuatus (id est magis proprius) in quo soli iusti scribuntur ea ratione, quod eos tantum cognoscere, hoc est, approbare dicitur: iuxta id quod scriptum est, *Novit Dominus vias iustorum*, Psal. 1. v. vii.

DISPUTATIO

VIGESIMA SECUNDA.

De potentia Dei.

Sectio I. *An, & quomodo Deus sit omnipotens?*

Sectio II. *De actibus diuinae potentie.*

Sectio III. *De obiecto omnipotentia diuinae.*

Sectio IV. *An detur collectio omnium possibilium, & solutio argumentorum in contrarium?*

Sectio V. *Soluuntur alia tria argumenta contra collectionem possibilium.*

Sectio VI. *Conclusio precedentium, & maior confirmatio verae sententia.*



DE potentia Dei disputat S. Thom. tota quæst. 25. & art. 1. docet Deum esse maximè, & summè potentem ad agendum: quia posse agere pertinet ad perfectionem: vnumquodque enim secundum quod est actu, & perfectum, est principium actus alicuius. Deus autem perfectissimus est. Sicut è contrariò, posse pati ad imperfectionem pertinet. Patitur enim vnumquodque secundum quod

est deficiens, & imperfectum: ideoque potentia passiva est à Deo remouenda à quo longè abest omnis imperfectio. Art. 2. affirmat potentiam Dei actiuam esse infinitam: quia essentia diuina, per quam Deus agit, infinita est. In omnibus enim agentibus quantò perfectior est forma, per quam agit, tantò maior est eius potentia in agendo. Sicut quantò aliquid est magis calidum, tantò maiorem habet potentiam ad calefaciendum. Art. 3. asserit Deum esse omnipotentem, id est, posse omnia absolute, seu quacunque non implicant contradictionem. Quia cum esse diuinum, super quod ratio diuinæ potentiae fundatur, sit infinitum, & non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem: quidquid habet rationem entis, seu possibilis esse, conuenitur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Art. 4. dicit Deum non posse facere, vt præterita non fuerint, quia implicat contradictionem præterita non fuisse. Tam enim implicat idem fuisse & non fuisse, quàm idem esse & non esse. Atque, vt rectè ait August. lib. 26. contra Faustum cap. 5. dicere Deum posse facere, vt ea, quæ facta sunt, facta non fuerint, est dicere Deum posse facere, vt ea, quæ vera sunt, eo ipso quòd vera sunt, falsa sint. Art. 5. tradit Deum posse facere alia, quàm quæ fecit: quia non agit ex necessitate naturæ, quidquid potest, vt aliqui falso existimarunt, sed quidquid liberè vult. Neque etiam determinatur eius potentia ad hoc genus rerum productarum propter ordinem sapientiæ, & iustitiæ, sine quo Deus nihil operatur: quia ordo à diuina sapientiæ, & iustitiæ, rebus inditus, non adæquat diuinam sapientiæ, sic vt diuina sapientiæ limiteret necessariò ad hunc ordinem. Agit enim Deus propter suam bonitatem, vt finem, quæ improporcionabiliter excedit omnia à Deo creata: ideoque non determinatur ad hunc ordinem rerum, quasi non possit alius ab illo fluere. Art. 6. pronunciat Deum non posse facere, vt ea, quæ sunt ab ipso facta, sint meliora quoad essentiam: quippe quæ est inuariabilis, & in diuisibili posita. Secus tamen quoad perfectiones accidentales, secundum quas varietatem, & augmentum recipere possunt. Simpliciterque loquendo, qualibet re à se facta Deum posse facere aliam meliorem, quia scilicet insignia ipsius perfecti in omni genere entis est magis atque magis in infinitum participabilis à rebus creabilibus. Huc vsque D. Thom. cuius doctrina sequentijs sectionibus explicabitur.

SECTION

An, & quomodo Deus sit omnipotens?

Sicut in creaturis intellectualibus præter intellectum, & voluntatem datur potentia executiua illi subordinata: sic in Deo, entis intellectuali summe perfecto, præter intellectum, & voluntatem, de quibus hæc

num. datur potentia perfectissima, per quam agere potest ad extra quidquid possibile est, secundum omnem modum quo possibile est: iuxta illud Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum, id est, phrasi Hebraica, omnis res. Et Marci 14. *Sicba pater omnia tibi possibilia sunt.* Et Genes. 17. *Ego Deus omnipotens.* Et sap. 11. *Omnipotens manus tua quæ creauit orbem terrarum.* Id etiam patet ratione naturali. Nam solus Deus est ens à se. Et quidquid aliud est aut esse potest, non potest esse nisi beneficio

Dei, per liberam eius actionem & dependentiam ab illo. Quare in Deo est potentia seu vis ad omne possibile, quam vim intellegimus nomine omnipotentia. Confirmatur: quia talis potentia est magna perfectio, nullam inuoluens imperfectionem, nec alij cuiquam aequè bonè repugnans. Ergo est Deo tribuenda. Adde quòd quicquid possibile est extra Deum, per aliquam potentiam possibile est. Vel ergo potentia illa in Deo est, vel in aliquo alio. Si primum: habemus intentum. Si secundum: non potest esse in vllò alio, nisi per dependentiam & participationem à Deo; cum cætera omnia sint ens participatum. Ergo multò magis in Deo est, à quo participatur. Adde præterea non posse sine imperfectione limitari potentiam diuinam ad aliqua è possibilibus. Ac potiùs sicut eius essentia est simpliciter infinita: sic potentia nullos limites habet intra possibilitatem, ac proinde est verè & absolute omnigena, & potentia omnimodè infinita & illimitata, tum intensiòe, quia est in seipsa formaliter infinita perfectionis: tum extensiòe, quia valet ad obiecta infinita, potestque simul plura in infinitum, non solum numero diuersa: sed etiam alia alijs perfectiora in latitudine entis, & in eius gradibus, seu generibus & speciebus, absque vllò termino intrinseco, sed tantum extrinseco, Deo scilicet ipso, neque enim potest facere seipsum.

2. Omnipotentia distinguitur ab intellectu, & à voluntate.

Secundò, sicut potentia executiua in creaturis intellectualibus distinguitur ab intellectu & à voluntate: sic in Deo distinguenda est, iuxta ea quæ diximus disp. 3. sect. 5. de fundamento distinctionis attributorum Dei, sumpto ex D. Thoma quæst. 13. art. 4. Potest enim optimè concipi essentia diuina vt respondens virtuti actiua quæ est in creaturis, præscindendo ab intellectu & voluntate formaliter. Ac demum sicut in nobis, & in Angelis, potentia executiua requirit directionem intellectus, & applicationem voluntatis: sic in Deo, qui nihil agit, neque agere potest extra se, nisi sapienter & liberè.

3. Suarez.

Consentit Suarez tract. 1. de Deo lib. 3. cap. 9. & disput. 30. Metaphysicæ sect. 17. num. 47. post Durandum & alios antiquiores. Alij verò qui contrarium sentiunt, voluntque potentiam Dei executiuam non esse aliud, quam imperium efficax diuinae voluntatis; tenentur dicere consequenter, Deum concurrere ad actum peccati per imperium efficax suæ voluntatis: quod est falsum, & absurdum. Nam Deus non imperat peccatum efficaciter, quòd potiùs sincerè prohibet, punitive committentem. Neque responderi potest Deum imperare tantum consequenter, posito quòd liberè creata velit peccare: & imperium illud non esse aliud, quam Deum velle non deesse muneri causæ primæ circa causam secundam volentem peccare. Contra enim: primò, est abuti terminis vocare imperium

hanc solam voluntatem. Secundò, omne imperium est antecedens ad id, ad quod est imperium: quippe quod ad id mouet per modum causæ efficientis physicæ vel moralis. Ergo si est imperium ad hunc actum peccati; non est consequens, sed antecedens.

Consentit etiam D. Thom. q. 25. art. 1. ad 4. licet aliam sententiam quorundam aliorum, quam inter Recentiores secutus est Molina loco infra citando, non improbet, posteriori loco ibidem relatam, quòd nimirum potentia sit voluntas vt effectiua ad extra. Verba D. Thomæ hæc sunt: *Potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à scientia & voluntate secundum rem: sed solum secundum rationem: in quantum potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.* Et art. 5. ad 1. *Potentia intelligitur vt exquens; voluntas, vt imperans; intellectus & scientia, vt dirigens.*

4. Confirmatur ex D. Thomæ.

Confirmatur quia Deus non est omnipotens formaliter eò quod sciat omnia: nec ideo formaliter potest res creare, quia vult creare, aut quis potest velle creare. Sed potiùs volitio creandi supponit potentiam creandi. Et vt rectè D. Thom. loco proxime citato: *Ideo Deus aliquid facit, quia vult: non tamen ideo potest, quia vult, sed quia talis est in sua natura.* Nimirum quatenus in sua natura eminenter continet omnia, & habet omnem agendi vim. Adde quòd res create non emanant immediatè ab intellectu & voluntate Dei. Ergo præter intellectum & voluntatem, admittenda est in Deo potentia executiua, à qua emanant.

5. Probatür ratione.

Consequentiã patet. Antecedens verò probatur: quia scire & velle, qui sunt actus intellectus & voluntatis, sunt actus immanentes, & non transeunt realiter in rem volitam & scitam: sed tantum in illam tendunt intentionaliter: vnde sola denominatione extrinseca res ab illis dicitur esse scita, aut volita. Quæ denominatio & quæ conuenit rebus, quæ à Deo fieri non possunt, aut non fiunt. Nam Deus seipsum cognoscit & vult: cognoscit etiam & amat bona merè possibilis, quæ non facit. Ergo res create non emanant realiter immediatè ab intellectu & à voluntate per cognitionem & volitionem diuinam: sed admittenda est potentia executiua, cuius vsu & exercitio physice attingantur res, quæ à Deo præceduntur.

6. Refutantur qui volunt omnipotentiam esse ipsam Dei voluntatem.

Contrarium sentiunt nonnulli quos sequitur Molina ad q. 25. art. 1. disp. 2. vbi nobis opponit aliqua Scripturæ & Patrum testimonia, quæ videntur affirmare potentiam esse ipsam Dei voluntatem. Sed intelligi debent identicè, non formaliter. At quòd Deus faciat, quicquid facere vult. Aut quòd merited tribuantur opera Dei voluntati, tanquam imperati: sicut etiam tribuuntur verbo essentiali, id est, intelligentiæ, tanquam dirigenti; Hebr. 1. v. 2. *Portans omnia verbo virtutis sue,* id est, verbo suo forti, phrasi Hebraica. Nec obest id

INNO
S. PATR.

Probatür Deum esse omnipotentem.

quod aliqui addunt in confirmationem eiusdem sententia, Deum Genes. i. dici fecisse mundum imperando, *fiat lux, fiat firmamentum, producat terra herbam viuentem* &c. qui loquendi modus indicat ex diuinae voluntatis imperio, vt sic, proximè sequi effectum. Quemadmodum quando imperium agitur moraliter in aliquem præditum cognitione, obedientia est ab imperio. Et alioqui Deus dicendus potius esset imperare suæ virtuti vt producat, non verò imperare effectui vt sic. Quemadmodum male diceretur pistor imperare imagini vt fieret, qui tantum imperauit sibi ipsi vt manum operi admoueret. Respondeo enim aliam esse causam sic loquendi, nempe ad significandam summam Dei potentiam & facilitatem operandi, cui perinde est facere, ac iubere & velle vt aliquid fit; cuiusque voluntati absolutæ & efficaci nihil potest resistere, aut difficultatem vllam afferre. Quæ etiam de causa dicitur vocare ea quæ non sunt, & quæ sunt, id est, habere æquale imperium, & æqualem potentiam in ea quæ non sunt & in ea quæ sunt. Propriè autem loquendo Deus neque suæ omnipotentia, neque huiusmodi rebus inanimatis, aut alijs non existentibus imperauit. Neque etiam peccata fieri aut esse imperat: quæ tamen, quoad positum, non fiunt sine concursu diuinæ omnipotentia.

Cur dicitur Deus creasse imperando?

7. Opponit secundo Molina: Dato actu efficaci diuinæ voluntatis, quo scilicet vult Deus hoc aut illud esse tali vel tali tempore, & seclusa per possibile vel impossibile in Deo quacunque alia virtute executrice: ex eo actu, tanquam ex efficaci & sufficienti causa, sequitur res creatæ eo tempore & loco, quo Deus ab æterno voluerit. Neque videtur tutum, consonumque cum diuinæ perfectione, affirmare actum illum non esse causam sufficientem & efficacem, vtex eo solo emanent res creatæ. Ergo superflue potitur aliud in Deo, quod habeat rationem principij immediati, & potentia executrix. Item in actu illo voluntatis diuinæ facile redditur ratio quare res creatæ in tempore emanent sine vlla mutatione in Deo: & quare potius emanent hæc quam alia, in hoc tempore & loco, potius quam in alio: nempe quia Deus ex æternitate liberè determinauit illud futurum vt esset potius vltimo harum rerum, quam aliarum, & hoc tempore vel loco, potius quam alio. In alia verò potentia executrice non tam facile redditur ratio illorum omnium.

8. Soluantur argumenta contraria sententia.

Ad primam Respondeo actum efficacem non posse esse in Dei voluntate, seclusa potentia faciendi quod vult, quam potentiam necessario præsupponit voluntas efficax vt talis, iuxta doctrinam D. Thom. locis supra relatis. Neque propterea vlla in Deo est imperfectio, quod secundum aliquam rationem præcise sumptam, non concipiatur habere omnem virtutem, & omnem perfectio-

nem, dummodo habeat idcirco, & æqualem sumptus. Distinctio enim attributorum in eo consistit, quod non confunditur tota Dei perfectio: sed tantum id quod opus est vt respondeat perfectionibus creaturarum, quibuscumque attributa diuina comparantur, iuxta doctrinam D. Thomæ q. 13. art. 4. Eademque responsione refellitur quod opponit Vasq. disp. 102. num. 9. distinctionem illam potentia ab intellectu & voluntate derogare perfectioni voluntatis diuinæ, quia inde sequitur voluntatem secundum se, concipi à nobis sine virtute perfecta & inimita, cum alia facultas ad exequendum ei tribuatur. Secundum verò argumentum Molina tangit difficultatem explicandam sectione sequenti.

Inhabis quia appetitus noscer, & imaginatio, habent aliquam vim efficiendi aut afficiendi, vt alterandi scelerum, commouendi humores, & similia. Actus quoque intellectus & voluntatis producant habitus quibus inuamur ad similes actus. Ergo multo magis Dei voluntas habet vim efficiendi.

Respondeo primo, non esse parem rationem appetitus materialis, & imaginationis animalium, quæ propter sympathiam & commotionem humorum ex passione ortam, id faciunt, & appetitus & intellectus purè spiritualis, qualis in Deo est. Secundo, sicut in creaturis intellectualibus corporeis, præter huiusmodi virtutes imaginationis & appetitus, admittitur alia distincta, per quam ad extra operentur: sic in Deo admittenda est. Virtus autem quæ est in actibus intellectus & voluntatis creatæ ad producendos habitus, est fecunditas diuersa ab intellectu & voluntate, estque tantum ad effectum immanentem: & præter illam admittitur communiter potentia executrix re vel ratione distincta ab intellectu & voluntate, illique subordinata.

SECTIO II.

De actibus diuinæ potentia.

Potentia diuina valet ad creandum, educendum, efficiendum, afficiendum, mouendum, impediendum, resistendum, destruendum, & quouis modo agendum. Distincta autem actio ratione, non re, à potentia agendi. Estque potentia, non nudè & præcise sumpta, sed in usu & exercitio: qui usus est potentia se imperdens & exercens, & actu ponens effectum, vt docet S. Thom. q. 25. art. 1. ad 2. & 3. argum. Vbi ait actionem, quæ Deus producit creaturas, esse in Deo, & non in creaturis: eaque de causa dari potentiam in Deo, comparatione effectuum qui ab eo producuntur: non verò comparatione actionis qua producuntur: quippe cum actio quæ producuntur, sit ipsemet Deus. Quibus vltimis verbis idcirco negat

Actio non fit, neque est forma, ne vel ratione distincta ab agente.

negat S. Thom. dari potentiam ad actionem, quia actio non fit: sed est potentia agens, non seipsam, sed aliquid aliud. Quod si actio fieret, deberet naturam prius esse alia actio, siue usus & exercitium potentia, ad illam efficiendam: & sic in infinitum. Qua de causa non est actio concipienda ut forma physica: ac ne quidem ut forma logica, seu metaphysica, potentia adueniens, & ab ea distincta. Adueniret enim ipsi potentia, quae illam poneret, & in illa ponenda se exerceret: adeoque ante actionem esset alia actio, siue aliud exercitium circa illam, & sic in infinitum. Debet igitur concipi simpliciter quodam modo secundum statum diuersum simplicem, quae potentia potest habere sine forma superaddita: quatenus eadem quae seipsa poterat agere, agit seipsa & ponit effectum. Quemadmodum res seipsa implet aliud & aliud spatium in motu locali, sine forma superaddita, ne ratione quidem distincta, ad hoc plane superflua: & materia recipi seipsa: & corpora se tangunt seipsis inmediate. Idemque dico de actione quarumcunque aliarum potentiarum, etiam intellectus & voluntatis, prout actio proprie sumitur pro usu & exercitio potentia, distincta a termino, seu effectu per actionem posito.

11. Quomodo actio diuinae potentia sit temporanea?

Difficultas verò est prima, an & quomodo actio diuinae potentia sit temporanea? Resp. primo, cum actio potentia sit actualis positio effectus, impossibile est effectum poni in tempore, & actionem non esse temporaneam. In quo differat actio omnipotentia, ab actione intelligendi & volendi, quae cum ab aeterno esse poterit, debet intelligi esse ab aeterno & in aeterno perseverare: quia Deus debet concipi inuariabilis quantum fieri potest. Adde quod multo magis variaretur per actiones intelligendi & volendi, ratione terminorum, qui sunt actus intellectus & voluntatis, intrinseci & immanentes; quam per actiones potentia operatis ad extra, quarum termini sunt Deo extrinseci.

12.

Respondeo secundò, Deum liberum esse ad operandum ad extra, ut naturali ratione notum est: adeoque non agere statim ac potest, aut quodcumque potest: sed quando vult, & id quod vult. Vult autem ab aeterno operari eo tantum instanti aut tempore quo operatur: Ita ut Deus ab aeterno habuerit volitionem efficacem & determinationem, cui tamen executionem coniunctam non erat, sed potius dilatio: quia praecedebat determinatio; & executio non erat, quae poterat esse prius quam fuerit, ac prius in infinitum. Et quamuis difficile sit intelligere quomodo vi decreti, quod per se erat de futuro, extiterit praesens executio, quae sine praesenti determinatione & applicatione seu motione potentia intelligi vix potest: illud tamen summae Dei perfecti & infinitudini incomprehensibili tribuendum est, ut aeterna volitio efficax fuerit ab aeterno sufficiens applicatio & determinatio potentia

Tomus I,

executiva ad operandum eo instanti temporis imaginarij quo Deus operari decreuit, & id quod operari decreuit. Adeo ut non sit opus nouo usu voluntatis, seu noua volitione, efficaciter applicante & extrinsecè determinante potentiam: sed sufficiat aeterna illa, eoque facilius, quod eò vult, & in aeternum eadem perseverat. Ex his solum manet secundum Molinæ argumentum, prima sectione propositum, & huc reuertamur.

Difficultas secunda est, an potentia diuina possit exhauriri: ita ut faciat quicquid facere potest, & nihil amplius faciendum super sit? Respondeo negatiuè. Neque enim potest motum caelorum v. g. tam diuturnum efficere, ut non possit diuturniores: neque res à se creatas tam diu conservare, ut non possit ulterius. Et supposita continuo compositione ex semper diuisibilibus, iuxta doctrinam Aristotelis, non potest illud tot in partes diuidere, ut in plures non possit. Praeterea potest ea quae creauit destruere, si velit, & destructa reproducere, & sic in infinitum. Potest etiam data quacunque multitudine specierum aut indiuiduorum producere alia: quippe quorum productio & existentia non habet oppositionem contradictionis cum priorum productione & existentia, neque enim opponuntur ut ens & non-ens, secundum idem: adeoque non implicat simul esse. Quare potentia diuina non potest tantum usum, aut tam multiplicem habere, ut non possit ulterius, & plus operari ac plus in infinitum, sine vllò termino. Et hæc de actibus potentia diuina in communi sufficiant. De actibus vero particularibus & præcipuis creationis, conseruationis, & gubernationis, dicemus infra tractatu 3.

13. Diuina potentia non potest exhausti.

SECTIO III.

De Obiecto diuinae omnipotentia.

Obiectum adaequatum potentia diuina est quicquid est possibile, secundum omnem modum quo est possibile. Si quid autem Deus non potest, illud inuoluit contradictionem eo modo quo Deo impossibile est: ut quod Deus seipsum destruat, vel metiatur, vel faciat ut non fuerint ea quae praeterita sunt. Neque propterea Deus desinit esse omnipotens: quia omnipotentia debet tantum extendi ad possible. Sicut nemo dixerit aurem surdam, quae colores non percipit; quia non est obiectum auditus. Ceterum possible quae in obiecto omnipotentia diuina continentur, infinita sunt. Et licet non sit omnibus euidens, est tamen à fidelibus communiter receptum, quod potentia Dei non limitetur ad vllam finitam multitudinem rerum producendam simul, & conseruandam, cum inde nulla sequatur contradictio, & manifestè multa possit in infinitum ac supra omnem finitam multitudinem: puta hominum multiplicationem.

14. Obiectum omnipotentia est omne possibile.

P P

continuando mundum, qui nunc est, in perpetuum. Qui homines cum non exigant successionem essentialiter, neque pendeant necessario ab alijs; possunt absolute simul produci plures ac plures sine fine. Quae admodum Angeli omnes simul producti fuerunt, poteruntque plures ac plures sine termino produci, etiam specie diversi. Potest enim essentia diuina, quae infinita est, & infinite participabilis, magis ac magis participari à spiritibus in infinitum nobilioribus. Haec autem ut cohaereat cum eorum sententia, qui negant infinitum actu seu categorematicum à Deo fieri posse, viderint qui sic sciunt.

Quamuis autem non posset Deus producere infinitum extra se: esset tamen infinita potentia per modum agendi per creationem, & independentem ab omni concursu alterius: posito, quod probabimus alibi, productionem ex nihilo arguere vim infinitam ratione modi agendi: & (quod certum esse contendimus) modum agendi independentem ab omni alio concurrente, etiam in genere causa efficientis, arguere infinitatem potentiae, quae sicut est independentem ab omni alio in operari; ita & in esse: adeoque est à se: & ideo est independentem in agendo. Item licet Deus non posset infinite agere neque ex parte obiecti, neque ex parte modi: si tamen posset omnia possibilis, esset hoc ipso formaliter omnipotens, citra infinitatem. Quare licet in re sint idem omnipotentia, & potentia omnimode infinita: ratione tamen differunt. Deus enim in illa hypothesi haberet omnipotentiam, citra infinitatem. Dixi, potentiam omnimode infinitam: quia si loquamur de potentia in aliquo tantum genere infinita, illa non coincideret cum omnipotentia. Licet autem omnipotentia infinite pateat ex parte obiecti: minus tamen patet quam intellectus & voluntas. Cum Deus multa intellectu & voluntate attingat, in quibus potentiam non habet; ut, v. g. seipsum, & impossibilia: & contra, nihil per potentiam attingat, quod non attingat per intellectum & voluntatem. Quare obiter nota infinitum posse habere terminum extrinsecum, & unum infinitum posse plus continere quam aliud, id est continere aliquid, amplius, quod non continet aliud.

16.
Quid intelligatur nomine possibilis?

Quaeres quid intelligatur nomine possibilis, cum dicitur Deum esse omnipotentem quia potest omne possibile? Ratio subitandi est quia possibile denominatur à potentia. Quare potentiam Dei extendi ad omne possibile, nihil est aliud quam posse id omne, quod ab illa denominatur possibile, quod est idem per idem, aut per aequè obscurum explicare, & dicere, Deus esse omnipotentem qui potest id omne quod potest.

Respondeo nomine possibilis, quod dicitur esse obiectum adaequatum omnipotentiae diuinae, intelligi quicquid non inuoluit contradictionem ut fiat. Dupliciter enim sumitur potest vox, possibile. Primum, respectiue

seu denominatiue, pro eo quod potest ab aliquo fieri: & sic denominatur à potentia: neque potest in praesenti ita sumi, ut arguatur factum bene probat. Secundum, absolute seu per non repugnantiam, pro eo omni quod non inuoluit contradictionem: quae non repugnantia consistit in ipsarum rerum essentia, seu praedicatis essentialibus: quo modo sumitur in praesenti. Sicque idem non explicatur per idem, aut per aequè obscurum: sed capacitas omnipotentiae diuinae optime declaratur, cum dicitur extendi ad id omne quod non inuoluit contradictionem. Quod enim est huiusmodi, non excluditur à ratione entis ex vi suae intrinsecae rationis, aut conceptus obiectiui. Et ideo ex se non est impossibile, quia entis ut sic nihil repugnat nisi non-ens. Ergo quod non inuoluit contradictionem, non includit aliquid repugnans rationi entis, adeoque non est ex se non-ens & impossibile. Si ergo esset impossibile; solum esset ex defectu extrinsecae potentiae: quod est contra infinitatem omnimodam & illimitationem omnipotentiae Dei.

Superest notare possibilitatem creaturarum fundari in perfectione essentiae diuinae, quae tanta debet esse & concipi, ut possit sese commuicare omni modo, non repugnante. Melius enim est illud bonum, quod sine sui detrimento potest sese diffundere, quam quod intra se consistit. Itaque ideo non repugnat hoc aut illud, quia diuina perfectio exigit quod non repugnet. Exigit verò, quia talis est. Est verò talis: quia ex summa & absolutissima necessitate non potest esse alia quam sit. Quare si necesse est aliqua extra Deum non repugnare existere: ideo necesse est quia necessario debet esse entitas diuina talis, qualis est, id est, immentae cuiusdam perfectionis. Ita ut ea quae non repugnant, non intelligantur quasi in se habere fundamentum suae necessitatis: sed potius in diuina entitate: à qua ut dependant secundum suum esse actuale: ita aliquo modo dependent secundum primum conceptum. Quemadmodum enim non possunt existere sine Deo, ut causa sui esse: ita neque perfectè concipi possunt existere posse, sine Deo ut ratione & fundamento, cur concipiantur posse existere. Haec igitur est prima radix & origo omnis non repugnantiae & possibilitatis creaturarum.

SECTIO IV.

An detur collectio omnium possibilium?

Non est quaestio, an detur à parte rei collectio omnium possibilium, ita ut omnia possibilis existant actu? sed an detur obiectiue in cognitione? id est, à Deo distinctè cognoscatur, vel à nobis confusè, conceptu respondente huic voci, Omnia possibilis. Quo loquendi modo vsus est Christus ipse Marci 14. v. 36. Abba pater omnia tibi possibilis sunt.

19.
Probatur
collectio
omnium
possibili
& solun-
tur argu-
menta co-
traria.

Negant nonnulli recentiores, secuti Nominales, quibus immeritò adiungunt SS. Thomam & Bonavent. negant infinitum actu esse possibile extra Deum. Nam licet hoc negent, non propterea negant quòd si infinitum esset possibile, videret Deus collectionem omnium partium ex quibus constare posset: quòdque si daretur extra Deum infinitum actu in magnitudine aut multitudine, daretur collectio partium ex quibus constaret. Neque id ab vilo negari potest, nisi repugnando euidenter lumini naturali. Quicquid enim est, siue sit finitum, siue infinitum, est id totum quod est. Totum autem nihil est aliud, quam partes omnes ex quibus constat, collectiue sumptæ, & unitæ si continuum est: ergo si totum est actu, omnes eius partes collectiue sunt actu, id est, & hæc & illa & quælibet alia. Estque euidenter impossibile, vt sit totum id quod est, sine omnibus partibus ex quibus intrinsecè constituitur, id est, quin sint omnia, ex quibus constat; & quorum si vel vnum deesset, nõ esset integrè & totaliter id quod est. Itaque Sæcti Doctores supra nominati id nõ negant, & malè in hunc sensu allegantur ab istis Recentioribus. Qui nullos habent auctores suæ sententiæ præter aliquos Nominales, periculosè, vt mihi videtur, hac in parte philosophantes. Quippe quorũ argumenta æquè pugnant contra Dei immensitatẽ, æternitatẽ, infinitatẽ, & alia dogmata fide certa, vt patet ex sequentibus eorum solutionibus.

Opponunt enim primò Aristotelem 3. Phys. cap. 7. textu 63. & 64. affirmare infinitum non posse connecti cum omni, & cum toto, id est, non posse dici omne, & totum, de infinito: possibilia autem infinita sunt. Totum enim, inquit Aristoteles, id dicitur, cuius nihil est extra, vel cui nihil deest: & idem est quod perfectum. Perfectum verò nihil est quod finem non habet. Finis autem terminus est. Quare totum & perfectum non potest esse infinitum. Quod dictum Aristotelis tanquam aureum & diligenter notandum, commendant Iuniores quidam Nominales: sed non satis consideratè.

20.
Soluitur
primũ
argum. in
contrariũ.

Primò enim, Aristoteles non aliter id probat, quam Grammaticali allusione inter Græcum *τελειος*, id est, perfectum: & *τελος*, id est finis. *τελειος* dicitur, quod *τελος* habet, & *τελος* dicitur, quod *τελειος* est. Quasi verò nõ sæpè alia sit significatio deriuati & deriuatiui. Simili modo argumentandi dicitur Philosophus Latinus, nihil esse perfectum quod nõ sit factum. Quia, perfectum, deriuatur à *facio* vel *fit*: diciturque per metaphoram ductam à rebus quæ fiunt, quæ perfectæ dicuntur, quando nihil illis faciendum superest. Secundò dico in ea doctrina errorem contineri. Si enim totum & perfectum non potest dici de infinito; sequitur primò, Deum, qui in omni genere perfectionis physicae & moralis est infinitus, non posse dici, neque esse perfectum. Quod est aperte contra Scripturam Matth. 5. v. vlti-

mo. Sequitur secundo, non posse dici omne & totum de essentia diuina, quia infinita est. Quod est contra Apostolum Coloss. 2. v. 9. In ipso, Christo scilicet, inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et contra Florentinum in literis Vnionis, id est, in fidei definitionibus, vbi sic habet: *Omnia quæ patris sunt, ipse pater vnigenito filio suo gignendo dedit, præter esse patrem.* Sequitur tertio, non posse dici totam essentiam diuinam esse in Patre, Filio, & Spiritu sancto: & quamlibet eorum esse perfectè Deum, nihilque illi deesse vt sit Deus, aut nihil diuinitatis extra illum esse, ita vt illi desit aliquid illius: quòd est contra Lateran. cap. *Damnatus*, circa medium. Sequitur quarto, non posse item dici totum, de singulis personis diuinis: quippe quæ singula infinita sunt. Atque ita falsum esse quod vniuersa Ecclesia Latina canit in Hymno quodam Officij Feriæ secundæ: *In Patre totus filius: Et totus in Verbo Pater.*

21.
Refutatur
causã.

Neque respondeant Aduersarij se cum Aristotele loqui de infinito quantitatio in mole vel in multitudine. Quia probatò Aristotelis est vniuersalis, petita ex ratione, vel potius ex nomine, infiniti, vt sic. Quare vel probat de omni infinito, vel de nullo. Deinde si infinitudo non obstat, quòd minus deur collectio infinitorum partium virtualium, seu perfectonum ratione distinctarum, constituentium totum infinitum in perfectione: cur potius obstat, ne datur collectio partium physicarum infinitarum, ex quibus componitur infinitum in mole vel in multitudine. Negabunt esse virtuales illam multitudinem in re physice simpliciter & indiuisibili. Sed iam alibi ostendimus disput. 3. sect. 5. & 6. id non posse negari nisi loquendo & sentiendo contra Scripturam, contra concilia, & contra sanctos Patres. Idque locus proximè citatus ex Florentino conuincit: *Omnia quæ Patris sunt, ipse pater vnigenito filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Cuius similis est alter locus Ioan. 16. v. 5. vbi Christus sic ait: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Nam dicere omnia, est dicere multitudinem. Vbiunque autem est multitudo, est distinctio vnius à alio. Quæ distinctio cum in essentia diuina, & ijs quæ communicant vni personæ ab alia, realis esse nequeat, debet esse virtualis, & rationis cum fundamento in re. Nota præterea ex eodem loco conuincit infinita posse sumi collectiue. Nam pater æternus dat filio collectiue omnia quæ illi dat, id est, quæcunque habet pater esse patrem. Neque enim solùm illi dat distributiue aliquas perfectiones essentia diuinæ: sed collectiue hanc & illam, & quamlibet aliam, nullã demptã quam simul non det. Illæ autem infinitæ sunt; alioqui Deus non esset perfectione infinitus, & inuicè participabilis à creaturis essentialiter perfectioribus & perfectioribus in infinitum in omni genere entis. Quare falsum est dicere non posse sumi collectionem in infinito.

22. *22.* Opponunt, secundò fore terminum & finem in tali collectione. Quia extra totam collectionem nihil est, & extra omne nihil est. Finis autem & terminus est id, extra quod nihil est.

Secundum
argum. di-
lucur.

Respondeo extra totam collectionem nihil illius esse: sed extra quamlibet illius partem esse aliam: neque valere in infinitis argumentum à singulis distributiue sumptis, ad totam collectionem, vel contra, in prædicatis quantitatis, vel quantitati asinibus: vt exposuimus disp. 2. cap. 25. Quia verò nulla est pars illius collectionis, vltra quam non sit alia: idè nulla est vltima, nulla est finis seu terminus antecedens, & Minorem argumenti quo probatur. Finis enim & terminus, non est ad omne extra quod nihil est: sed est pars illa totius formalis aut virtualis, extra quam partem nihil aliud est ad totam illud pertinens. Quæ pars non reperitur nisi in totis finitis. Certè extra Deum nihil est quod ad illum intrinsecè pertineat. Et tamen *magnitudinis eius non est finis, vt dicitur Psal. 114.*

23. *23.*
Tertium
argum.

Opponunt tertio nec lum dari posse maximum finitum possibile: quocunque enim dato possibile finitum, potest dari aliud maius finitum. Ergo non datur collectio omnium possibilium finitorum maiorum & maiorum. Probant consequentiam, quia si daretur illa collectio: vel esset finita, vel infinita. Si finita: daretur in illa maximum finitum possibile. Si infinita: ergo aliquod eorum esset infinitum (quod est contra suppositionem) quia magnitudo, ex omnibus illis infinitis numero constans, esset infinita. Item quò plures essent magnitudines supra pedalem ex. gr. quarum quælibet esset dupla ad aliam: ed esset aliqua maior pedali. Sed essent infinitæ: ergo esset aliqua infinite maior. Quod est contra suppositionem. Et illa necessitudo præsupponit alias infinitas minores & maiores infinitum.

24. *24.*
Non potest
dari maxi-
mum fini-
tum.

Respondeo verum quidem esse, nullum dari posse maximum finitum possibile. Quia alioquin, addita vel vnica parte maxima, fieret infinitum. Atque ita esset proportio certi & exigui excessus inter finitum & infinitum: & ex duobus finitis fieret infinitum: dareturque pars vltima in tali infinito, quæ infinitum est. Sed quod inde inferunt noui Quidam Nominales, non posse dari infinitum extra Deum: quia deberet excedere maximum finitum, aperte falsum est. Hinc enim sequeretur Deum non esse infinitum in perfectione, quia non excedit maximum finitum perfectione. Tam enim est impossibile maximum finitum in perfectione, quam rationes allatas, quam maximum finitum in quantitate, vel in multitudinis. Item sequeretur Deum non esse finitæ durationis & æternæ, quia eius duratio non excedit maximum finitum duratione, quod maximum est impossibile. Item non esse immensum & infinite diffusum suâ substantiâ,

toto mundo & extra: quia eius diffusio non excedit maximum finitum situ, quod maximum est impossibile.

Malè quoque ex eo inferunt non dari collectionem omnium possibilium finitorum, maiorum & maiorum. Quare in forma ad argumentum propositum, admisso antecedente, nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, illam collectionem esse infinitam. Ad impugnationem primam huius partis respondens, nego sequi aliquod illorum esse finitum. Licet enim magnitudo constans ex omnibus illis numero infinitis, esset infinita: quòdèunque tamen ex illis sumeretur, esset finitum. Neque valet hęc argumentum à collectione, ad singula. Sicut dato quòd motus cælorum ab æterno fuisset, non valeret dicere: Multitudo dierum est ab æterno: ergo aliquis dierum est ab æterno. Ad secundam nego similiter quòd plures sunt magnitudines supra pedalem &c. ed esse aliquam maiorem pedali. Nam hęc modus argumentandi supponit aliquam esse vltimam & maximam. Atqui hæc sunt infinitæ, vel supponimus, nulla est vltima & maxima, sed quilibet sumpta fumere est aliam maiorem in infinitum. Et quamuis sint infinita, alia alijs maiora, nullum tamen est infinitum. Sicut inter angulos acutos qui possunt duci plures & plures in infinitum, alij sunt alijs maiores, supposita cõpositione continui ex sepe diuisibilibus, de quo non dubitat aduersarij. Et tamè nullus est infinitus, sed quilibet minor est angulo recto: & quilibet è curuilineis in infinitum possibilibus est maior acutus rectilineis, qui infiniti duci possunt alij alijs maiores intra eundem semicirculum, & lineam rectam supra positam tangentem diametrum circuli ad angulos rectos, vt demonstrant Mathematici cum Euclide lib. 3. element. proposit. 15.

Ad id, quod valde notandum est, argumentum illud aduersariorum pugnare aperte contra Dei immensitatem, id est, actuale diffusionem substantiæ diuinæ per totum vniuersum, & extra vnde quaque sine termino. Quæ diffusio infinita est, quia sine caret: & tota simul est, adeoque tota collectiue: Deus enim actu est simul hęc & illæ, & in quouis alio spatio reali vel imaginario. Et hæc diffusio, quamuis partibus formalibus careat, quia Deus eadem suâ substantiâ indiuisibili est vbicumque est: æquiuale tamen infinitis magnitudinibus, quarum vna sit pedalis, altera bipedalis, & sic in infinitum. Et in diuina immensitate sumpta secundum æquiualentiam ad huiusmodi magnitudines, non potest dari maximum finitum possibile. Sumpta enim prout æquiualeat cuicumque magnitudini possibili finitæ, potest vltimis sumi vt respondens & æquiualeat maiori magnitudini finitæ possibili. Ergo, iuxta modum argumentandi aduersariorum, non datur collectio omnium huiusmodi æquiualeantiarum finitarum maiorum & maiorum &c. quod est dicere Deum non esse actu immen-

sum, id est, non habere actu diffusionem suam substantiæ illimitatam, per quam sit completè potens ex se respondere huic finitæ magnitudini, & illi, & cuiuscunque æteri possibili, maiori & maiori in infinitum; imò & corpori aut luci immensæ, si crearetur. Quæ diffusio tota est actu, neque potest Deo accrescere, & habet collectiue ac simul totam amplitudinem virtuales æquivalentem partibus formalibus rerum corporearum, infinitarum, quibus omnibus simul & adæquate responderet, si existeret: vt ex Scriptura, & Patribus, & evidenti ratione ostensum fuit disp. 5. sect. 3. & sequentibus.

27. **Quartum argum.**
 Opponunt quartò nullum numerum esse maximum finitum possibilem rerum creabilium; quia quocunque dato numero, diuina vi dari potest maior: & supra unitatem in infinitum dari posse plures numeros inæquales, quorum quilibet alium excedat vnica unitate. Quo posito sic argumentatur: Supra vnica lapidem videt Deus distinctè, & eo ordine quem posuit, plures numeros lapidum posibles, & supra quemcunque finitum videt alium possibilem, & consequenter nullus est finitorum possibilem hoc modo se excedentium, quem non videat. Et tamen non videt omnes collectiue. Ergo licet multi sint numeri finiti posibles, & supra quemcunque alius: non datur vlla huiusmodi collectio possibilis. Si neges non videri omnes collectiue. Contrà, inquit, vel illi sunt numero finiti vel infiniti. Si primum: ergo inter eos datur maximus. Nam si numerarentur, vt possunt, si finiti sunt, deueniretur ad aliquem maximum finitum possibilem. Si infiniti: ergo cum ab unitate dentur infiniti maiores & maiores, dabitur aliquis infinitus, quod est contra suppositionem. Quia quò plures sunt huiusmodi supraunitatem, eo datur aliquis maior. Adde quò si essent numeri infiniti, esset infinitus numerus numerorum, quod est contra suppositionem. Præterea, accipiendo ex quolibet numero vnica unitatem, numerus ille esset infinitus, quod item est contra suppositionem.

28. **Diluitur.**
 Respondeo hoc argumentum idem esse cum precedenti, & peccare eodem vitio pugnandi contra Dei immensitatem. Quod enim obicit contra numeros lapidum, potest æque obijci contra amplitudinem virtuales immensitatis diuine, & correspondentias actuales aut posibles ad huiusmodi lapides secundum numeros finitos maiores & maiores in infinitum. Secundò, directe respondeo negando minorem, cum eius consequentia. Ad cuius probationem, dico illos numeros esse infinitos multitudi-
 tudine: neque propterea hinc sequi aliquem eorum esse infinitum. Sicut ex eo quòd multitudo dierum fuisset ab æterno, & infinita à parte ante, dato scilicet

motu cælorum ab æterno: non sequeretur aliquem diem fuisse ab æterno. Ratio est quia, vt supra dixi, in infinitis non valet illatio à toto ad singula, vel vice versa, in prædicatis quantitatis aut illi affinitibus. Neque in huiusmodi numeris est aliquis vltimus, qui sit eò maior, quò sunt plures unitates in omnibus illis numeris finitis, quorum vnus excedat alium vnica unitate, & hic alium, & sic in infinitum. Non est autem contra suppositionem, collectionem totam numerorum, aut vnus vel plurium unitatum ex singulis numeris sumptarum esse infinitam: dummodò singuli numeri seorsim sumpti finiti sint.

29. **Quintum argum.**
 Opponunt quintò? Si dentur omnes numeri posibles, aut omnes unitates posibles: illæ erunt sine dubio infinitæ. Hoc posito, inquit, salua aliqua infinitate, possunt auferri quædam unitates, & bene multe. Auferantur ergo omnes quæ possunt auferri salua aliqua infinitate, si dentur omnes auferibiles. Hoc etiam negari nequit. Iam ergo, vel adhuc vna unitas auferri potest, vel non. Si primum: ergo non erunt ablatae omnes unitates auferibiles. Si secundum: ergo ideo nequit auferri, quia subiecta vnica unitate tolleretur infinitum, quod est falsum & impossibile. Huic argumento simile est quò sequitur, vobis magis quam sensu differens. Derur, inquit, linea aliqua infinita versus Orientem, hinc tamen finita. Nullus est palmus ab hoc vltimo finitè distans, quem Deus non videat. auferat ergo Deus omnes finitè distantes ab isto. Hoc posito quæro, si alius adhuc auferatur palmus, an is sit finitè distans ab isto? Certè cum vltimus destructorum non nisi finitè distaret: nec iste qui sequebatur immediate, erat plus quam finitè distans. Ergo falsum est omnes finitè distantes esse ablatos. Atque ita falsum est, tali infinito posito fore aliquos omnes finitè distantes. Si autem nulli sunt omnes finiti posibles huiusmodi palmi, sed tale obiectum contradictionem inuoluit sequitur talem lineam possibilem esse chimericam. Nam admissa tali linea, sequeretur dari talem collectionem omnium. In illa enim essent omnes palmi finitè distantes à primo. Quò ostendimus esse impossibile.

30. **Retorque 2**
 Respondeo primò hoc argumentum directe & aperte pugnare contra Dei immensitatem. In qua negari nequit esse per æquivalentiam, non modò lineam infinitam; sed & superficiem, & profunditatem. Ita vt Deus actum diffunderet actu sicutaliter, quantum diffunderetur corpus vndeque interminatam, aut lux in infinitum quaquà versus diffusa. Quò certum esse ostendimus disp. 5. sect. 3. & sequentibus, & negari non posse nisi vim, faciendo Scripturæ, Peni-
 P P 3

bus, & concilij œcumenicis. Secundo dico unitates aut palmos auferibiles ab infinito, siue in multitudine, siue in magnitudine, falsa infinitate, esse infinitos: ac proinde inter eos nullum vltimum esse, & nullum à Deo videri vltimum, quamuis omnes in isto videantur: quia videntur eo modo, quo sunt. Sunt autem infiniti, adeoque sine vilo vltimo. Esse autem infinitos clare est duplici ratione. Primum quia natura infiniti est talis, vt infinitè contineat quemcumque numerum finitum eorum ex quibus constat. Ex. gr. multitudo infinita lapidum continet infinitos binarios lapidum, & infinitos ternarios, & denarios, & centenarios, & sic in infinitum. Quare salua eius infinitate possunt auferri infiniti lapidum binarij, ternarij, centenarij, & quilibet alius numerus finitus. Nullus autem est finitus quo maior dari non possit. Quare etiam nullus tantus auferri potest, quo non possit auferri maior. Idem dico de continuo infinito in magnitudine. Continet enim infinitos binarios palmorum, & ternarios, & sic in infinitum. Alioqui finita numero finito multiplicata, facerent infinitum, esseque certa, & definita proportio excessus inter finitum & infinitum, quod implicat. Secundo, quia ex opposito sequeretur dari maximum finitum possibile: illud scilicet quod restaret subtracta vnica unitate, post omnes auferibiles salua infinitate. Nam si possit esse finis auferibilium salua infinitate, id quod remanet sparsa vltima, ita præcisè infinitum erit, vt dempta vel vnica unitate, desinat esse infinitum. Ergo quod remanet dempta illa unitate, erit maximum finitum possibile: quippe quo non potest esse maius. Nam si addatur vel vnica unitas, sic infinitum. Idem quod dixi de unitatibus, aut palmis auferibilibus, dicendum est de palmis finitè distansibus.

Infinitum
concinet
infinites
quemlibet
numetum
finitum.

SECTIO V.

*Soluntur alia tria argumenta contra
collectionem possibilium.*

31.
Sextum
argum.

Opponunt sextò: Si Caretur collectio omnium possibilium, in ea contineantur collectiones omnium indiuiduorum possibilium cuiuscunque speciei. Sed nulla collectio omnium indiuiduorum vnus speciei est possibilis: ergo nec collectio omnium possibilium. Maior patet. Minor probatur. Quia posita quacunque indiuiduorum alicuius speciei multitudine, quod maior non sit possibilis, vel oritur ex incompossibilitate alicuius alterius, aut ex defectu potentie. Neque vnici potest. Non enim primum: quia nullum indiuiduum est incompossibile esse cum alio. Et posito alio quo reali cum alio, non sequitur contradictio. Non etiam secundum: quia posita quacunque multitudine vnus speciei, Deus

adhuc remanet potens ad infinitè plura aliorum specierum. Ergo & ad vnum illius speciei; cum eadem sit potentia omnium illorum productiua. Confirmatur, quia illa collectio falsa est, quæ supponit ignem intensissimè calidum, & virtutis infinitæ, non posse quicquam ignis producere in stupa siccissima. Atqui si daretur omnis ignis possibilis, & stupa siccissima illi applicaretur; non posset quicquam ignis in ea produceri: alioquin non erat ante datus omnis ignis possibilis. In idem recidit quod addunt de omni materia possibili producta, & informata forma ignis, quæ non relinquere locum alijs formis possibilibus.

Respondeo Maiore concessa, nego Minorem. Ad cuius probationem, dico aliud esse dari obiectiue in mēte diuina collectionem omnium possibilium, id est, Deum cognoscere simul hoc & illud & quodlibet aliud, quod sine absurditate & errore negari non possit. Item paulò post: & aliud, Deum creare & ponere actu tantam rerum multitudinem, & sit maxima possibilium, & maior creati non possit. Primum asserimus, & secundum negamus: quia non datur vlla maxima multitudo possibilium, sed dari potest maior & maior in infinitum. Ita vt neque multitudo possibilium, neque potentia diuina exca illa, exhauriri vnquam possit. Contra quod non pugnat argumentum propositum, & eius confirmatio proccedens ex mala intelligentia sententiæ quam impugnat. Quò vitio multò magis peccat istud alterum quod addunt: Si eorum omnium quæ distributiue possibilis sunt collectio esset possibilis, atque ita posset Deus ponere omnia possibilis collectiue, quæ distributiue ponere potest; sequeretur his positis, supra quemcumque numerum contradictorium in infinitum, plura & plura contradictoria esse simul posita. Nam Deus potest quamlibet creaturam facere, & potest quamlibet non facere. Ergo si quidquid potest distributiue, potest & collectiue: simul erit Petrus, & non erit: & ita de alijs contradictorijs distributiue possibilibus. Peccat, inquam, hoc argumentum vitio malæ intelligentiæ opinionis quam impugnat. Nullas enim asserit Deum posse simul & collectiue ponere opposita, quæ ponere potest successiue & distributiue. Ac ne quid in potest facere simul & collectiue contra non opposita: quia data quacunque eorum multitudine siue finita, siue infinita, aliquid illi addi potest, estque possibilis maior & maior in infinitum, vt paulò ante diximus.

Opponunt septimò: Si daretur collectio alia complectens quacunque diuisim possibilis dari possunt, daretur collectio omnium globorum maiorum, & maiorum, aliorum intra alios inclusorum possibilium. Ex. gr. potest Deus facere globum pedalis diametri: & illum potest includere in alio maiore finito in certa quantitate, cuius diameter sit

bipedalis, & illum in alio, eadem proportionem priorem excedente, & ita consequenter. Certum est quod nullus sit numerus finitorum sese hoc modo excedentium, supra quem non possit alium. Verum absolute includat hoc modo omnes possibiles. Vel illi essent numero finiti, vel infiniti. Si primum: ergo ille qui reliquos includit, erit finitus. Atque ita falsum est esse omnes possibiles: quia potest dari maior includens. Si secundum: Ergo supra primum & minimum globum erit infinitus aliquis, quo tota collectio claudatur. Nam quod maior est excessus supra primum globum, eod aliquis globus est maior. Sed est excessus infinitus: Ergo est aliquis globus infinitus. Atque ita datur infinitum rotundum vndequaue terminatum. Adde quod vel illi omnes globi adæquant immensitatem quinam, vel non. Si primum: ergo immensitas est rotunda. Si secundum: ergo extra omnes illos esset immensitas. Et quero cur non potuerim alius globus produci in ea? Hoc enim non excederet vim diuinam. Ergo si replent immensitatem, immensitas diuina est rotunda. Sed etiam est quadrata, & triangularis, si argumentemur eodem modo de quadratis & triangulis, maioribus & maioribus. Ergo immensitas, cum terminata erit, tum incompensabilibus terminis terminata.

34. Retorque- tur contra Dei immen- sitatem, Respondeo primò hoc argumentum aperte pugnare contra diuinam immensitatem, & æqualem diffusionem totam simul & immutabilem essentiam diuinam, æquivalentem globis illis, & quadratis, aut triangularibus, aliis intra alios inclusis, & maioribus ac maioribus in infinitum. Et tamen certum est diuinam illam amplitudinẽ virtualement extensionis finialis, æquivalentem formali extensioni & multitudini globorum, quadratorum, & triangulorum, esse totam simul & collectiuẽ: quia alioqui Deus non haberet actu & immutabiliter diffusionem quã æquivalere possit & respondere intimè huic globo, & illi, & cuius alteri maiori & maiori in infinitum. Atque ita Deus non esset immensus: essetque possibilis aliquis globus, in d' & infiniti, extra diffusionem diuinam, quibus Deus intimè præsens esse non posset per diffusionem quam nunchaber, quã idcirco ex illa parte limitata esset.

Dico secundò hoc argumentum laborare eodem vitio, quo fere omnia præcedentia, cum in infinitis procedit à toto collectiuẽ ad singula distributivẽ: vultque conuenire necessariò alicui singulorum, id quod dicitur de tota multitudine collectiuẽ sumptis. Quæ illatio nulla est in prædicatis quantitatis, aut affinitibus quantitati, vt ratione & exemplis alibi demonstratum fuit.

In forma itaque, admissa suppositione, Respondeo multitudinem illam glo-

borum possibilium esse infinitam. Sed nego illam consequentiam, Ergo super primum & minimum globum erit infinitus aliquis, quo tota collectio claudatur. Hoc enim est ponere vltimum in multitudine infinita: quod est absurdum & contra naturam infiniti. Perindeque est, ac dicerè dari vltimam partem proportionalem in continuo, supposita eius diuisibilitate in infinitum, quod est sibi aperte contradicere. Quamuis partes illæ proportionales ex quibus componitur continuum, puta lignum pedale, sint omnes simul & collectiuẽ: quia lignum pedale, quod totum actu est, nihil est aliud, quàm omnes illæ collectiuẽ sumptæ & vnitæ. Estque impossibile esse hoc totum quantum est, sine omnibus partibus ex quibus constat, omnibus, inquam, simul & collectiuẽ sumptis.

36. Neque verò quod maior est excessus supra primum globum, eod aliquis globus est maior, vt obijciunt Aduersarij: sed tantum sunt alij alii maiores in infinitum, absque vilo qui sit maximus & infinitus. Atque ita nullum datur infinitum rotundum vndequaue terminatum, vt iidem Aduersarij malè inferunt: Quemadmodum si ab æterno fuisset huc vsque multitudo dierum infinita, Respondens æternæ durationi Dei à parte ante: non propterea esset aliquis dies æternus, & tantum distans ab hodierna die, quanta fuit duratio totius collectionis, sed æternitatis dierum.

37. Ad id quod vltimò additur Respondeo illam instantiam non minùs aperte pugnare contra Dei immensitatem. Possunt enim in infinita illa diffusionem designari mente circuli vel globi maiores & maiores in infinitum, qui reipia simul omnes & collectiuẽ existunt, æquivalentque quoad situm, & extensionem localem, globis corporeis possibilibus maioribus & maioribus in infinitum. Quare ergo de illis potest ab Aduersariis, an omnes illi globi diffusionis diuinæ adæquent Dei immensitatem, vel non? Et tamen, velint nolint, fatendum illis est globos illos in Deo immensitate designatos, aut designabiles, maiores & maiores in infinitum, esse simul omnes, & collectiuẽ, id est, & hunc quo æquualet globo terræ & aquæ: & illum quo æquualet spheræ seu globo aeris: & illum quo æquualet spheræ ignis: & sic de cæteris, quibus æquualet globis cælestibus, & aliis possibilibus maioribus ac maioribus in infinitum.

38. Deinde directè Respondeo omnes illos globos, seu totam eorum collectionem, non adæquare quidem totam immensitatem diuinam, id est, non esse tantam quantum est immensitas. Implicat enim figura circularis, seu distributiuẽ seu collectiuẽ sumptas, esse immensas & vndequaue interminatas: sed tamen nullam esse partem aut punctum immensitatis, in quo

non possit duci globus : & ita posse duci alium alio maiorem sine fine, ac sine villo ultimo, & maximo, adæquante immensitatem.

39.
Octavum
argumen-
tum.

Opponunt octavo: Omnis collectio omnium partium includit finem & terminam. Ergo nulla est infinita. Ex. gr. supponamus mundum conservandum in æternum : & aliquem hinc inferre infinitos esse dies futuros, & Deum videre omnes futuros collectivè. Contra eum sic arguuntur: Quotiescunque aliqua sunt eo ordine, vt vnum sit post aliud immediatè: si ab vno certo sumatur tota collectio sequentium: sumi debet aliquid, extra quod nihil illorum sit. Sed hoc fieri nequit sine fine. Ergo sumetur finis. Probatur Minor: quia sumitur aliquid, extra quod nihil aliud erit rei. Non enim aliter sumetur collectio, quam sumendo singula in ea contenta. Sed hinc colligendo versus futurum, nihil est extra quod non sit aliud futurum, nisi dicitur vltimum futurum: ergo datur vltimum futurum. Et certè, inquit, evidens est, cum ea collectio omnia ordine contineat, vnum post aliud immediatè, si tota sumatur, debere sumi aliquid vltimum. Quod dicere est hæreticum. Nam talis dies vltima terminaret Dei durationem. Et quandoquidem futura esset, aliquando verum est dicere, diuina durationi superest vna hora quadrans. Item, inquit, si esset aliqua collectio omnium dierum possibilem futurorum, & Deus vellet conservare mundum in perpetuum, ita vt non solum quælibet dies esset futura distributivè: sed etiam omnes collectivè, siue tota collectio: aliquando verum esset dicere, Tota collectio est præterita. Quod hæreticum est. Probatur. Quia de quocunque futuro verum est aliquando dicere, est aut fuit. Sed illa collectio esset futura. Ergo &c. Item, si esset illa collectio futurorum dierum infinita possibilis, & clauderetur terminis. Hoc autem implicat in terminis: ergo &c. Probatur sequela. Nam quod plus aliquid distat ab aliquo termino extenditur: eò aliqua pars eius magis distat ab illo termino. Sed ea collectio extenditur infinite supra diem hodiernum: ergo esset aliqua dies futura infinite distans ab hodierna. Et ita infinitum clauderetur terminis, hodierna nempe die, & illa alia infinite distante.

40.
Refellitur.

Respondeo primò, hoc argumentum, æquè ac superiora, procedere ex mala imaginatione & ignorantia naturæ infiniti, in quo nihil est vltimum, & in quo illatio non valet à toto collectivè ad singula distributivè, vt iam sæpè monuimus. Itaque in forma, nego primum antecedens, & sequelam maioris secundi argumenti, ob rationem redditam supra num. 22. in solutione secundæ objectionis. Neque est evidens, sed evidenter falsum, quod si sumatur tota

collectio infinita ordinatorum, debeat sumi aliquid eius vltimum. Nam est infinita, non habet vltimum, sed plura & plura sine fine. Ad alteram instantiam, nego sequelam. Nimirum, fere verum aliquando dicere, Tota collectio dierum futurorum sine fine est præterita. Ad cuius probationem, Respondeo, de quocunque futuro verum esse aliquando dicere quod est, eo modo quo est. Collectio autem infinita dierum sine fine futurorum, ita est successivè, vt semper aliquid illius futurum supersit. Quare de illa non aliter verum est dicere quod sit. Ad tertiam instantiam, patet responsio ex dictis numero 35. in solutione septimæ objectionis, cum qua ista coincidit.

47.
Respon-
dit contra
Dei æter-
nitatem.

Addo rotam hanc objectionem æquè pugnare contra Dei æternitatem. Est enim de fide Deum fuisse ab æterno. Fuit autem non distributivè tantum hoc, aut illo, aut aliquo sæculo: sed collectivè hoc, & illud, & quouis alio, tota æternitate à parte ante præterito virtualiter, & æquivalenter, per extensionem durationis diuine, correspondentem quantum est ex se, & æquivalentem infinitis diebus, mensibus, annis, & sæculis, quæ huc usque omnia collectivè præterissent, si motus celorum ab æterno fuisset. Sicut etiam Deus durabit in æternum, & regnabit per omnia sæcula, quæ alia aliis sine fine succederent, si motus celorum duraret in æternum, quod non est impossibile. Iam ergo applicent illis collectionibus æternæ durationis diuine argumenta supra facta contra collectionem dierum possibilem, & videant eadem vi concludant, si quid valet, contra æternitatem Dei, ad probandum dari in illa primum & vltimum, eiusque infinitatem claudi duobus terminis: ac contra collectionem dierum possibilem, ad probandum, eam suppositâ, dari vltimum diem in collectione omnium dierum possibilem futurorum, & totam collectionem fore aliquando præteritam, ac denique claudi duobus terminis infinite distantibus.

SECTIO VI.

Conclusio præcedentium, & maior confirmatio veræ sententiæ.

48.
Sententiæ
contra
imperium
dei argu-
ta.

EX his omnibus liquet verum esse quod diximus initio sectionis quartæ, argumenta Nominalium contra possibilem collectionem, desumpta ab incommodo vel ab impossibili, quicquid habeant difficultatis propter naturam infiniti, ingenii finitis incognitam, æquè apertè pugnare contra dogmata certâ fide tenenda: nimirum

qua contra Dei infinitudinem, immensitatem, & aternitatem: addo & contra Dei cognitionem, vt mox patebit. Nam immensas diuina actualis aequiualeat globis, palmis, lineis, numeris, vel unitatibus rerum corporearum infinitis: eique secundum hanc aequiualentiam applicari possunt, quæcunque illi obijciunt de magnitudine pedali, primùm sumpta, postea bipedali, & sic in infinitum: deque globis, lineis, unitatibus, & numeris rerum corporearum infinitis. Aternitas verò aequiualeat multitudini dierum infinita cum continua successione: cui applicari possunt, quæcunque ipsi opponunt contra dierum futurorum possibilitatem infinitam collectionem, & contra voem, omne, applicatam aternitati, quam tamen Scriptura, Patres, & Ecclesia, sapius illi applicant, cum aiunt Deum viuere & regnare per omnia secula. Deus enim non regnabit tantum per aliquam secula: sed per hæc & illa, & quæuis alia, quod est regnare per omnia collectiue, sine fine tamen collectionis & durationis.

43.
Deus cognoscit infinita collectiue.

Quod autem attinet ad Dei cognitionem: vel nulla collectiue cognoscit Deus, vel infinita. Primum est absurdum: quandoquidem creaturæ ipsæ multa cognoscunt collectiue. Secundum probatur: quia quod potentia cognoscit maior est, eò plura collectiue cognoscit, aut cognoscere potest, vt patet in angelis, qui quo sunt nobiliores, & intelligentiores: eò habent species & cognitiones ampliores & vniuersaliores, id est, plura simul distinctè complectentes. Atqui potentia cognoscendi diuina infinitè maior est quæuis creaturæ: Ergo &c. Deinde, nullus certus terminus assignari potest eorum quæ Deus collectiue cognoscit. Ergo cognoscit plura sine termino, & sine fine. Ergo infinita. Quæ enim multa sunt, & carent sine multitudinis, infinita sunt in multitudine. Probatur antecedens. Nam quot v. g. damnatorum cogitationes futuras nouit Deus collectiue, aut quot possibilita? Certè non mille, non centum millia, nec vllus alius est terminus eorum, quæ cognoscit collectiue, vltra quem non plura cognoscat. Ergo in collectione eorum quæ cognoscit, nullus est terminus. Tertio, evidens est eum qui plura sumit, vel cognoscit, & nullum relinquit: sumere omnia. Quid enim aliud est dicere, omnia, quam dicere multa, nullo excluso, vel relicto? Nam sumit hoc, & illud, & quoduis aliud. Atqui Deus ita cognoscit possibilita, vt nullum sit extra eius cognitionem: nullum reliquat incognitum: sed cognoscat hoc, & illud, & quoduis aliud, idque simul & semel, cognitione non magis vnum quam aliud attingente; nec magis mille, quam centum millia, & quæuis alia obiecta complectente: ergo cognos-

Deus cognoscit omnia possibilita collectiue.

cit omnia collectiue, quantumuis infinita. Quare qui nihil non sumit, & nihil relinquit extra, eius quod assumit, totum sumit. Totum enim ex Aristotele supra citato numero 19. & fatentibus aduersariis est illud, cui nihil deest: vel, cuius nihil est extra. Atqui Deus sua cognitione nullum possibile non sumit, nec quoduis possibile est extra possibilita à Deo cognita: ergo Deus nouit totum id quod est possibile: & de obiecto diuina cognitionis, prout attingit possibilita, verè dici potest, quod sit totum id quod est possibile, siue omne possibile. Et hæc argumenta magis vrgent aduersarios, qui Dei cognitionem ne quidem ratione in plures distinguunt.

Quintò denique idem patet ex regulis aequipollentiarum, quas tradunt dialectici, quasque admittunt aduersarij. Quarum vna est huiusmodi, *Nonnullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.* Ex qua sic arguuntur: Qui nullum possibile non cognoscit, cognoscit omne possibile: quia nullum non, & omne aequiualent. Sed Deus nullum possibile non cognoscit: ergo Deus cognoscit omne possibile. Neque respondeant cognoscere omne distributiue, non collectiue. Contra enim sic insto: Qui vnumquodque cognoscit simul cum alijs, & nullum penitus non cognoscit simul & semel, cognoscit omne collectiue: hoc enim omnia colligere in sua cognitione. Sed Deus ita cognoscit possibilita: ergo cognoscit omnia collectiue. Item, qui cognoscit singula, nullo excepto, distributa per copulam, & est, qui cognoscit hoc, & illud, & quodlibet aliud simul & semel, cognoscit omnia collectiue. Nam illa distributio, seu descensus copulatiuus per singula nullo excepto, aequiualeat vniuersali omne collectiue, vt docent dialectici, cum agunt de descensu propositionis vniuersalis. Atqui cognitio diuina ita se habet respectu possibilitum, vt cognoscat hoc & illud & quodlibet aliud, idque simul & semel: ergo cognoscit omnia collectiue. Quare sententia aduersariorum repugnat primis principijs Dialecticæ.

44.

45.

Et hæcenus de Deo in vno, ad maiorem eius gloriam, dictum fuit. Nam quæ de beatitudine Dei addit S. Thomas quæst. 26. quod scilicet Deus sit maxime & perfectissime beatus: quia est perfectissima natura intellectualis, cuius est cognoscere suam sufficientiam in bono quod habet. Sitque beatus secundum intellectum: quia id quod est perfectissimum in quacunque intellectuali natura, est intellectualis operatio: vnde cuiuslibet nature intellectualis creata beatitudo consistit in intelligendo. Sit etiam beatitudo, non formalis, sed obiectiua, reliquorum Beatorum: quia ex hoc solo est aliquis beatus, quod Deum intelligit: secundum illud Augusti, lib. 5.

De beatitudine Dei.

INO
S
par

Confess. cap. 4. *Beatus est qui se nouit, etiam si alia ignoret.* Ac denique quoddam continent eminenter in sua beatitudine quicquid est desiderabile in quacunque felicitate. Cum de contemplatiua felicitate habeat continuam & certissimam contemplationem sui, & aliorum omnium. De actiua vero, gubernationem totius uniuersi. Et de terrena, felicitate quae consistit in uoluntate, diuitiis, potestate, dignitate, & fama, secundum Boetium; habeat gaudium de se & omnibus aliis, pro delectatione: pro diuitiis omnimodam, sufficientiam, quam diuitiae promittunt; pro

Boet. lib. 3. de consolat.

potestate, omnipotentiam: pro dignitate, omnium regimen: pro fama, admirationem totius creaturae. Haec, inquam, omnia partim sunt in textu perspicua, & facillime partim, si quid habent difficultatis, in tractatum de Beatitudine Teuicienda sunt. Sequitur ut de ineffabili Trinitatis mysterio dicere aggrediamur: quae est secunda generalis Dei consideratio, proposita à D. Thoma quaest. 2. in prooemio, & ab eodem septemdecim quaestionibus declarata, quoad supremum illud, arcanissimumque mysterium reuelationibus diuinis, & deductis ratiocinationibus declarari potest.

